


Rb. 58.



IOANNIS STEPHANI PVTTERI

I. V. D. ET P. P. O. IN GEORGIA AVGVSTA

CONSPECTVS
IVRIS GERMANICI

PRIVATI HODIERNI
NOVO SYSTEMATE
TRADENDI.



GOETTINGAE,
SVMTIBVS VIDVAE VANDENHOECK,

1754.

JOACHIMUS SCHMIDELIUS
EX LIBRIS AEGIDIUS GÖTTSCHEI
COLLECTAS
TAVIS GERMANICIS
NOVO SYSTEMATE
TRADITIONE
**KON. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**



GOTTSCHE
SAMMLUNG AVDAE AGRICULTORUM



PRODROMVS DE M E T H O D O

VNIVERSAE IVRISPRUDENTIAE PRIVATAE,
SPECIATIM
IVRIS GERMANICI.

Ex quo vel primis modo labiis degustavi iuris Germanici priuati studium, equidem & utile, & necessarium, & iucundum illud habui; sed non plurimis tantum difficultatibus id ipsum inuolutum deprehendi, verum generatim quoque in methodo, qua vniuerse in iurisprudentiam nostram priuatam introducimur, haud parvpii desiderii supereesse, dudum credidi, magisque indies, quo magis serio rem meditor, eo certior reddor.

) (2

Quod-

Quodsi quidem fieri nequit, vt iura, diuersis plane in rebus publicis, diuersis temporibus, auctoribus, rationibus condita, vno eodemque ordine, ne dicam, vna & simul tractentur & addiscantur; certe ea, quibus in Germania vtinur, iura ita comparata sunt, vt, nisi summa imis, ima summis misceantur, simul tradi, simul accipi nequeant, nec fere infeliciar rei euentus cogitari possit, quam inueterati nostratium moris, quo impatiens vno impetu in vniuersam iurisprudentiam irruere, quam iusto ordine, suo quamque tempore & loco, singulam eius partem introgredi malunt.

Pia, noui, desideria scribo, neque primus; sed, quae nec iterum iterumque tamen dixisse & saluasse animam pigerit, quorumque, si quando vel vnum alterumue mouerint, sique Deus bonorum voto successum dederit, vniuersam forte in patriam redundare fructus potuerit.

Haeresis mea prima haec est: *Ius Romanum solum, nullo alio iure intermixtum, per tractandum necessario prius est, quam ad illa alia, quae in Germania valent, iura quis prorogendiatur.*

Suppono quidem fundamento solido praestructam iuris naturae notitiam. Inpositius autem iuribus, a nostratis addiscendis, omnino primum locum iuri Romano

vin-

vindico, quippe cuius ad intelligentiam nullum aliud requiritur iuris positui studium.

Ipsum vero ad perspiciendum, vti fas est, ius Romanum historia Romana pragmatica, i. e. quae vicissitudines reipublicae docet, praescitu necessaria est. Quumque perquam varius sit reipublicae istius status, pro diuersis temporibus, quibus iura eius condita; in primis historiam legum iuriumque ante oculos haberi oportet.

Nec tamen, si quid video, sufficit historia iuris, vti huc vsque tractari solita; sed quum ipsum ius antiquum Romanum, i. e. illud potissimum, quod viguit tempore liberæ reipublicæ, fere prorsus variatum sensim sub Imperatoribus, omnino differat a iure Iustinianeo, id quod tamen sine illo rite perspicinon potest; me iudice *plane seorsum prius pertractandum esset ius antiquum Romanum, deinde seorsum iterum ius Iustinianum.*

Hoc exciperet proximo loco *ius canonicum*, idque, praesupposita, quantum satis est, historia ecclesiastica, speciatim hierarchiae Romanae, sic tractandum, vt legitimum sistema solius propriæ sic dicti iuris canonici, vti adhuc inter catholicos valet, formetur, atque nequaquam singulis illius argumentis intermisceatur, sed iterum seorsum plane tractetur ius euangelicorum ecclesiasticum.

Nunc demum, via interim per historiam Germaniae pragmaticam parata, pateret accessus

cessus ad patria iura, seu, quod vocant, *ius Germanicum*, idque similiter solum purumque, nullis aliis intermixtum iuribus, tractandum.

Quo facto postremo omnium loco componi posset *iurisprudentiae communis*, quae hodienum in Germania valet, ex diuersis istis iuribus compilatae sistema.

Ita quidem multo felicius tractari posse singulas vniuersae nostrae iurisprudentiacae priuatae partes, crediderim. Sed praeterea in ipsa singulae cuiusque partis methodo, fateor, mos adhuc usitatus haud mihi valde adridet.

Etenim quamquam legislatoris, quibusue iura compilandi, & vel adipicandi in iudiciis auctoritas publica datur, non tantum interesse videatur, quo ordine singulae leges conceptae coniunctaeque sint; omnibus iis tamen, quorum est aut erudire alios in prudentia iuris, aut ediscere hanc, quo ordine utrumque in singula quaque iuris scientia fiat, non potest curae cordique nimis esse; nec facile unquam uterque ordo ille, (alterum legislatorum forte, alterum doctrinalem commode vocaueris,) adposito fatis conueniet, ut hunc illi fine detimento accommodare liceat.

In iure Romano certe nil manifestius, quam ordinem illum in primis panderarum, licet qua legislatorum nequaquam vitupe-

ran-

randum, qua doctrinalem tamen incommodorem vix cogitari posse.

Neque, quod mirandum, diffitentur id
ICti fere uno ore omnes. Immo nec desunt,
qui iam operi alio ordine conscribendo ma-
num admouere summe laudabilem, celeber-
rimi & eruditissimi, noui & veteres ICti.
In quibus paeprimis in deliciis mihi quidem
sunt, quid quod fuerunt Gundlingiis, Hei-
necciis, Hassiae olim decoris, Hermanni
Vulteii iurisprudentiae Romanae acutissimo
ingenio conscripti libri duo, quos de novo
nuper alter Gundlingius, hodiernum Has-
siae decus, Ioannes Georgius Estor, maximam
vel hoc nomine gratiam meritus, euulgauit;
vt taceam Donelli, Hilligeri, Struuui, Titii,
aliorumque plurimorum id genus labores.

Nihilo secius tantum abest, vt tantorum
virorum premamus vestigia, vt potius, quam
fatemur, confusionem paeferamus ordini,
indigestae, tamquam glebae adscripti, in-
haereamus moli, &, ne satis videatur, ipsa
Romana inordinate tractasse, immisceamus
potius & pontifica, & Germanica, & Saxo-
nica, & feudalia, & quae modo in promptu
cuique sunt alia iura, vt vere pandectarum
nomen, quae omnia & qualiacumque reci-
piat, mereatur congeries.

Ast vero & hinc etiam illae lacrymae!
Hinc elegantissimi alias nunc difficultas, &

X(4) odium

odium studii. Hinc taediosa illa non bis,
sed ter quaterue vnam eamdemque rem re-
petendi necessitas. Hinc tam rara Romani
iuris scientia solida. Hinc tam anceps in
foris Germaniae iuris applicatio. Hinc iu-
ris illa, quam omnes dolent, incertitudo.
Ecquis recensuerit vnius mali malas conse-
quentias omnes reliquas?

Equidem haud ignoro, quae ad defen-
dendum morem pristinum allegantur. Nec
me latent, quae immutationem illius pre-
munt, difficultates. Attamen parum abest,
quin contendere ausim, plus praeiudicii &
commoditatis, quam rationis solidae, tueri
adhuc consuetudinem, qua innutriti omnes
nec alios decidere patimur.

Vix memoratu digna obiectio, quod
periculum incurramus desufieri euoluendis
ipsis legibus pandectarum, quibus, si com-
pendium euoluendi spectes, inseruit index,
ceterum magisne compendium eodem or-
dine, an alio scriptum adstringat, dubito.

Sed, vtrum, fore, vt melior substituatur
alius ordo, sperandum? inquis, quid si haud
concinnius, quid si vel in peius reformatur
ordo? nonne disperget alter, alter repetet,
alter obliuiscetur alia, alia omittet alter, &
suo quisque sensu conturbabit omnia?

Fateor, non omnibus eodem successu li-
cebit hanc adire Corinthum. Immo ne me-
tuen-

tuendum quidem, ut vel a tanta multitudine tentetur haec via.

Verum si maxime id fiat, vix inordinatior, quam pandectarum, methodus exspectari poterit, pluribusque in libellis mox inutiles utilioribus, imperfecti completis, mediocres melioribus, ad plausu publico cedent. Dubitate saltem licebit, maiori reipublicae incommodo multitudine compendiorum, systematum, paratitlorum secundum ordinem pandectarum, an alia methodo conscriptorum laboraturi simus?

Nescio sane, quo fato solum praesertim ius Romanum hac ratione diiudicetur, quum iuris feudalis, iuris publici, iuris Germanici priuati, &c. fere quotquot sunt scriptores, sua cuiusque libera methodo, nec minore tam successu istas iurisprudentiae partes adhuc tractent; quumque, quo plures potius eidem scientiae manum noua methodo admouent, eo securius, deinceps ad optimam methodum umquam adspirari posse, sperandum videatur.

Ego quidem paucis pagellis hisce vel ipse specimen exhibeo, qui non aliorum modo ab ordine recedere, sed & sua ipsius scripta curis posterioribus reformare quis possit. Quam si non laudabilem, tamen omni saltem excusatione dignam, cuiusque auctoris libertatem censeo; maxime si differre primam

libri editionem haud licet, aut si, quod per-
saeppe contingit, nisi primum liber imperfe-
ctior editus castigatusque relectione auctoris
& aliorum monitis fuisse, perfectior forte
numquam compareret, & si demum ad haec
nec moles libri eiusque noua emendatio ita
comparata est, ut emtoribus prioris libri
insigne damnum emergat.

His ego fretus rationibus hoc tibi, L E-
C T O R B E N E V O L E, exiguae molis opuscu-
lum offerens, spero fore, ut aequi bonique
id consulas, neque indignoris libello noui
systematis p[re]fronte minas gerentis, si vel
maxime elementa mea iuris Germanici iam
ante hos sex annos conscripta possederis,
quibuscum huic leui scripturae facile locum
dabis, &, si vel vtrumque libellum emisse te
poenituerit, iacturam haud magni momenti
incurred.

Nec certe tamen edidissem hoc leuis armaturae,
quod vides, opus, nisi praeter spem & opinionem,
quod a pluribus annis quasi iam dereliqueram, iure
postliminii iterum ingredi, atque auditorum, non
multitudine magis, quam genere, ingenio, mori-
bus & industria illustrium coronae proponere hoc
iuris Germanici studium, me fors fortuna iussisset.

Etsi vero, quae dudum mihi haud satisfecerant
amplius, antea conscripta elementa nondum prorsus
emendare possem, neandum conscribendo, cuius qui-
dem structuram forte delineauero, systemati nouo
me parem profitear; malui tamen proferte qualia-
cum-

cumque, quae meditor, noua, quam inherere pri-
stinis, quibuscum praefens mea, si vel solum ordinem
spectes; haud conuenit cogitandi ratio.

Tentavi saltem hoc nouo conspectu nouum iuris
patrii nostri ordinem, quo licet alii concinnorem
sentiant, quibus cedere omni momento paratus sum,
mihi tamen pleraque iuris istius argumenta pro eo sal-
tem fine, quo hanc scripturam confeci, commodius
proponi posse visa sunt, de eo solo circa omnem me-
thodum follicito, ut, quoad eius fieri potest, quae ad
intelligendum alia conducunt, hisce praeponantur,
haec illa excipient.

Sed nec pretium operae erit, immorari diutius his-
ce pagellis, quas qui inspexerit, cuiusque interfuerit,
me haud monente videbit, qui allegauerim elemen-
torum meorum ante editorum paragraphos, qui absti-
nuerim allegatis omnibus aliis, breui, qui conspectum,
non ipsum systema scribere mecum constituerim.

At vero promittere me tamen nouum iuris Germanici
systema, forte suspicaris! Si me sponsum rogas,
sane haud spondeo. Namque tantum abest, ut me
ipsum iuuet, vniuersum illud nouum sistema descri-
bere, ut ne mediter illud quidem, potius imparem tanto
operi publice me profitear, & non lubens tantum aliis
quibuscumque hanc relinquam spartam, sed profecto
solum hac simul mente hoc principaliter in usum au-
ditorum conscriptum opusculum edam, ut modo aliis
forte nouam simul tentandi nouum ordinem mate-
riam suppeditem.

Hanc enim, quo diutius hoc studium meditor, eo
firnius ingredior sententiam, ut necesse sit soli huic
amplissimae disciplinae omnem operam impendere,
si quis ex undecim iuris Germanici libris conscribere
duodecimum haud satis habuerit. Sane

Sane modo fontibus, quos §. 24. in hoc opusculo
memorau, legendis aliquis infenescat. Atque idem
illud tamen praecipuis in impedimentis est, quo minus
huc usque sat solide tractari potuerit haec nobilissima
disciplina, quia plerosque piget ipsos, fine quibus ta-
men reuera nihil iure agitur, fontes.

Hoc unicum tentavi, ut vel indicem modo chrono-
logicum conficerem fontium iuris Germanici, iurium
in primis statutariorum atque provincialium, quo-
rum difficillimus certe & imperfectus alias usus erit,
quamdiu haud uno oculo intueri licet, quot & ubi qui-
dem veneranda illa iuris patrii, praefertim a seculo
XII. inde, adhuc superfint monumenta, quae nisi non
legantur tantum, sed & per secula annosque etiam, &
per provincias urbesque comparentur, imperfecta
erit iuris Germanici priuati prudentia.

Indicem istum, qui prope iam, ut typis exscribi
possit, paratus est, forte in lucem volente Deo exire
patiar. Sique porro Deus vitam viresque largietur,
forsitan pluribus singularium argumentorum commen-
tatiunculis aliquando periculum faciam describendi
vnam alteramue iuris patrii noua methodo partem.

His interim qualibuscumque conatibus indulge,
CANDIDE LECTOR, mihiique faue ceterum, &
vale.

Scrib. Goettingae d. 2. Mai. 1754.

TABV-

TABVLA SYNOPTICA I. EAQVE GENERALIS.

PROLEGOMENA de iure Germanico in genere,
cap. I. II.

- 1) quale sit ius Germaniae priuatum? §. 1. - 5.
- 2) an & quo sensu detur ius Germanicum priuatum
vniuersale? §. 6. - 10.
- 3) quis sit usus iuris Germanici? §. 11. - 21.
- 4) de fontibus iuris Germanici, §. 22. - 28.
- 5) de subsidiis iuris Germanici, §. 29. - 32.

* * *

Ipsum IUS GERMANICVM PRIVATVM
dispescendum generatim est in varias species. Quodsi
enim ambitum vniuersi iuris priuati nostri comple-
ctamur; distingendum est

I) *Ius Germanicum priuatum generale*, quod tradit
iura & obligationes singulorum Germaniae ci-
uium, modo qua talium, sive qua priuatorum in
genere, consideratorum (§. 167.), idque iterum

- 1) *civile*
- 2) *criminale* (§. 166.);

II)

II.) *Ius Germanicum priuatum speciale*, i. e. adpli-
catum specialiori personarum negotiorumque qua-
litati (§. 168.); cuius sequentes potissimum clas-
ses possent constitui, veluti (§. 169.)

- 1) *ius feudale, militare, ecclesiasticum;*
- 2) *iura singularia illustrium & nobilium priuata;*
- 3) *iura ciuicorum singularia; speciatim ius op-
ficiarum, cambiale, mariitimum;*
- 4) *iura rei rusticae & agrariae singularia, velu-
ti iura forstalia, venatoria, salinarum, metal-
lifodinarum, decimarum;*
- 5) *iura Iudeorum singularia;*
- 6) *iura concursus creditorum;*
- 7) *iura priuata ex ordinationibus politiae pro-
fuentia.*

TABV.

TABVLA SYNOPTICA II. EAQVE SPECIALIS.

Ius Germanicum priuatum generale ciuile agit

I) *de ipsis iuribus & obligationibus priuatis ciuium Germaniae*, cap. III. -- XVIII.

a) *de varietate subiectorum & obiectorum iuris, quatenus diuersitatem ipsorum iurium operatur,*

A) *de personarum diuisionibus*, cap. III.

B) *de rerum diuisionibus*, cap. IV.

a) *de iuribus & obligationibus ipsis*

A) *in genere*

a) *de iuribus circa res*, cap. V.

b) *de pactis*, cap. VI.

B) *speciatim*

a) *extra statum socialem*

A) *de variis pactorum speciebus*

a) *de conuentionibus principalibus*

α) *iuris rerum*, cap. VII.

β) *iuris personarum*, cap. VIII.

β) *de conuentionibus accessoriis*, cap. IX.

B)

- B) de aliis modis adquirendi
a) inter viuos, cap. X. 1) de modis
adquirendi naturalibus, *occupatione*,
accessione §. 78. - 81. 2) de modo
adquirendi ciuali, *praescriptione* §. 82.
b) mortis caussa, de *successione* 1) illu-
strium ac nobilium, cap. XI. 2)
ciuicorum & rusticorum, cap. XII.
b) de statu sociali
A) de *matrimonio* iuribusque coniuga-
libus
a) ex iure Germanico in genere, cap.
XIII.
b) Sigillatim de hodiernis iuribus
coniugalibus 1) illustrium & nobi-
lium, cap. XIV. 2) ciuicorum &
rusticorum, cap. XV.
B) de *parentum potestate* in liberos,
cap. XVI.
C) de *tutelis*, cap. XVII.
D) de *seruitute*, seu de *societate herili*,
cap. XVIII.
- II.) de modo persequendi ius suum, siue de *re iudi-
ciaria*, cap. XIX.
1) *via facti*, §. 152.
2) citra viam facti, §. 153.
A) de *arbitris & Austraegis*, §. 154.
B) de *iudiciis*
a) de *constitutione & forma iudiciorum*,
§ 155. - 164.
b) de *processu*, §. 165.

CAP.





CAP. I.

D'E

IVRE GERMANICO IN GENERE,

AN DETVR HODIE IVS GERMANICVM
PRIVATVM VNIIVERSALE, ET QVIS
EIVS VSVS?

§. 1.

Ius Germaniae priuatum legibus vel consuetudinibus ntitur, aut vniuersalibus totius imperii, aut particularibus prouinciarum, vrbium, pagorum, familiarum.

§. 2. Leges, quae in Germania valent, conditores *aliae* Germanos habent, sive Imperatorem adhibito consensu comitiali, sive proceres imperii, magistratus, capita familiae, & vel priuatos; *aliae*

A

16-

receptae sunt peregrinae originis, ius ciuile Romanum Iustinianum, ius canonicum, & ius Longobardicum feudale.

§. 3. In materia quoque in leges post notitiam iuris Romani in Germania conditas influxit haud parum iuris peregrini; adeo ut hoc non tantum per se valeat, vsumque immediatum habeat, tamquam ius commune receptum subsidiarium, sed mediati quoque usus sit, quatenus in legibus Germanicis negotia iuris peregrini continentur.

§. 4. Idem fere de consuetudinibus dicendum, quae vel mere patria firmant, vel cum iure peregrino conueniunt.

§. 5. *Duplex itaque ius priuatum Germaniae bodiernum, alterum originetenus peregrinum, siue immediate ex legibus peregrinis, siue mediate per leges domesticas obseruetur; alterum originetenus patrum, quod vel legibus vel consuetudinibus feruatum.*

§. 6. *Ius priuatum Germaniae patrum, quod legibus vel consuetudinibus vniuersalibus nitatur, quae totum iuris priuati ambitum contineant, non datur.*

§. 7.

§. 7. Leges tamen & consuetudines patriae *particulares* permulta dantur, quae conueniunt, & quarum concentus vel ex rationibus status publici Germaniae derivari potest.

§. 8. Leges hae per se non ultra valent, quam obsequium legislatori debetur, vel quam usu forte receptae; consuetudines non ultra, quam probari possunt.

§. 9. Nec eo itaque sensu datur *ius Germanicum uniuersale*, quod cum complexus legum vel consuetudinum uniuersitatem valeat.

§. 10. Doceri tamen potest *concentus iurium particularium* Germaniae, isque ex rationibus status publici explicari, ita ut *scientia* detur *iuris Germanici uniuersalis*, seu iurium & obligationum origine patriarcharum, quae adhuc in Germania valent.

§. 11. *Scientia* ista per se *vim legis* non magis habet, quam illa alia iuris disciplina per modum scientiae descripta; i. e. nisi qua lex vel consuetudo cum ea conueniat.

§. 12. *Usum* tamen praebet haud sine damno negligendum 1) ad intelligenda atque interpretanda iura patria qualiacumque, 2) ad formandum

A 2

iuris

4 1) DE IVRE GERM. IN GEN.

iuris cuiusque particularis sistema legitimum, 3) ad explorandam, vbi opus, iuris patrii analogiam.

§. 13. Generatim *vus iurium, quae in Germania valent*, ita comparatus est, ut particularia precedant semper vniuersalibus, domestica peregrinis.

§. 14. Ante omnia respicienda *dispositiones ab ipsis iis, quorum interest, eorumque maioribus rite conditae, & vel eodem loco consuetudines familiarum rite probatae.*

§. 15. Legum primae sunt *statutariae*, quae eo loco eoque in foro, vbi caussa agitur, valent, siue quae eum, de cuius obligatione agitur, stringunt; Eademque ratione & consuetudines urbium pagorumque valent.

§. 16. Deficientibus aut non stringentibus iuribus statutariis, valent leges consuetudines *provinciales*, qua territorialis superioritas procedit.

§. 17. Deficiente aut non stringentem iure provinciali valet, si qua est, *lex imperii*, aut, si qua probari potest, *consuetudo Germaniae vniuersalis*.


§. 18. Quodsi demum nulla lex Germanica adest, nulla consuetudo probari potest; valet *ius commune peregrinum*, quod in *subsidiump* receptum est.

§. 19.

§. 19. Is quidem ordo diuersarum, qua legislatorem respicias, legum in Germania obseruandus est. Qua diuersitatem ipsorum negotiorum & materiae legum aut patriae aut peregrinae originis, fas est, quoduis negotium peregrinae ex peregrinis, patriae originis ex patriis rationibus diiudicare.

§. 20. Hac ratione haud raro *analogia iuris partii* praefertur iure meritoque iuri peregrino.

§. 21. Sin fecus; *mixtura iurium* intolerabilis, nisi qua lex vel consuetudo reddiderit malum necessarium.



CAP. II.

DE FONTIBVS IVRIS GERMANICI AC SVBSIDIIS.

§. 22. *Fontes iuris Germanici hodierni* proprie sunt leges imperii, prouinciales, & statutariae, quae hodie valent, quatenus quae domesticae originis sunt, continent; item, qua rite de iis constat, consuetudines sive vniuersales, sive particulares. Quorum quo plurium ex concentu quo maiore, contutius quid iuris Germanici statui potest,

6 2) DE FONTIBVS ET SVBSID.

§. 23. Ad eruendum vero ius Germanicum vniuersale & ad cognoscendum in primis origines & rationes iurium domesticorum, necesse est consulere *fontes antiquiores*, licet vel obsoletos maxime.

§. 24. Hoc sensu fontium iuris Germanici multo grandior numerus. Iisque sequenti circiter ordine tractentur, suaserim:

1) Antiquae Germaniae priscorum morum testes, scriptores Romani potissimum, Caesar in primis, Tacitus, reliq.

2) Leges populorum Germanicorum antiquae, seculo V.-VIII. conditae. (*elem. §. 8.*)

3) Auctores coaeui & diplomata, quotquot supersunt, & ad illustranda iura priuata conducunt, ex aevo stirpis Merouingicae, item formulae Marculfi aliorumque eius aevi;

4) Capitularia regum Francorum, Carolingiae praesertim stirpis, eiusdemque aevi pariter, quae supersunt, & huc pertinent, diplomata, formulae atque coaeui;

5) Seculi X. XI. XII. XIII. diplomata & coaeua morum Germanicorum testimonia;

6) Speculum Saxonicum, aliaeque eius generis eiusdemque aevi collectiones (*elem. §. II. 12.*), & statu-

2) DE FONTIBVS ET SVBSID. 7

statuta, quorum antiquitas ad hoc aeuum vel ultius attingit; (*elem. §. 14.*);

7) Seculi XIV. XV. diplomata, aliaque eius aeui morum iuriumque monumenta, in primis leges imperii, iura statutaria & prouincialia, responsa scabinorum, item paroemiae, quarum origo ab hoc aeuo constat (*elem. §. 7. III., §. 13. 15.*);

8) Demum seculorum a XVI. inde sequentium leges imperii, prouinciales & statutariae, pacta aliaeque dispositiones familiarium; collectiones iudicitorum, obseruationum, responsorum, decisionum cet.; item commentatores testesque iurium priuati; omnesque ii ordine temporis collocandi (*elem. §. 26 - 33.*).

§. 25. *Exterorum quoque vicinorum, leges iuriumque scriptores iuri Germanico illustrando saepe inferuiunt, in primis eorum populorum, qui Germaniae olim partem constituerunt, vel eiusdem saltem nobiscum, aut plane Germanicae originis sunt.*

§. 26. *Fontium itaque iuris Germanici distinguendus est v/sus iuridicus & historicus; practicus & theoreticus.*

§. 27. *Iuridice & in praxi non admittenda est auctoritas fontis iuris Germanici, nisi constet, eum*

§ 2) DE FONTIBVS ET SVBSID.

eo loco inter partes, de quarum iure vel obligatione agitur, adhuc hodie valere.

§. 28. *Historice* & ad eruendam theoriam, item aliquando & analogiam, iuris Germanici adhiberi possunt omnes & qualescumque eius fontes, modo non peccetur 1) concludendo a particulari ad universale, 2) confundendo tempora, 3) commiscendo iura diuersorum locorum, provinciarum, familiarum, ordinumque personarum.

§. 29. Excolendo iuri Germanico plurimum inferuit iuris naturae, historiae Germaniae pragmaticae, iuris Romani & canonici, linguae Germanicae variarum dialectorum, reliq. notitia (elem. §. 89.90.).

§. 30. Culturam iuris patrii priuati, fere penitus antea neglectam, superiori denum seculo coeperunt Hermannus Conringius, Iustus Georgius Schottelius, Ioannes Schilterus, Dauid Menius, aliique.

§. 31. Reproductis interim cultisque magis in dies fontibus huius studii, in primis historicis, porro multo maiorem lucem ei accendere:

Ioannes Nicolaus Hertius,

Georgius Beyerus,

Christianus Thomasius,

Ioan-

Ioannes Petrus de *Ludwig*,
 Nicolaus Hieronymus *Gundlingius*,
 Iustus Henningius *Bochmer*,
 Georgius Melchior de *Ludolf*,
 Ioannes Paulus *Kress*,
 Ioannes Wilhelmus *Waldschmidt*,
 Christianus de *Nettelbla*.
 Ioannes Gottlieb *Heineccius*,
 Ioannes Gottfried de *Meiern*,
 Joachimus *Pottgießer*,
 Ioannes Adam *Kopp*,
 Ioannes Philippus *Kuchenbecker*,
 Daud Georg *Strube*,
 Ioannes Georgius *Estor*,
 Ernestus Joachim de *Wesphal*,
 Christianus Ulricus *Grupen*,
 Henricus Christianus de *Senkenberg*,
 Joachim Lucas *Stein*,
 Friedericus Esaias de *Pufendorf*,
 Christianus Gottlieb *Buder*,
 Ioannes Iacobus *Reinhard*,
 Ioannes Rudolphus *Engau*,
 Ioannes Georgius *Cramerus*,
 Ioannes *Heumann*,

A 5

Ioan.

Ioannes Friedericus *Polac*,
 Georgius Henricus *Ayrer*,
 Georgius Ludouicus *Boekmer*,
 Christianus Gottlieb *Riccius*,
 Matthias de *Wicht*,
 Henricus *Nettelbladt*,
 Ioannes Carolus Henricus *Dreyer*,
 Ioannes Gottlob *Klingner*,
 Ioannes Friedericus *Eisenhart*,
 cet.

§. 32. Omnia horum ex scriptis, ipsisque ex
 fontibus iuris Germanici, sat magni adparatus *biblioteca* huius iurisprudentiae partis constitui potest,
 dispescenda potissimum 1) in fontes, siue singulis
 quosque voluminibus constantes, siue comprehen-
 sivos collectionibus ex instituto ea mente confectis,
 siue interspersos libris alia mente conscriptis; 2) in
 commentatores notarumue scriptores ad fontes il-
 los; 3) in systematicos vel elementarios; 4) in
 miscellaneos, & 5) in singulorum argumentorum
 scriptores.

CAP.



CAP. III.

DE PERSONARVM DIVISIO- NIBVS GERMANICIS,

SIVE DE DIVERSA PERSONARVM CONDITIONE,
QVATENVS DIVERSITATEM IVRIVM
OPERATVR.

§. 33. Ex *diuīstione personarum communi*, quae diuersitatem iurium operatur, considerandi sunt 1) nascituri, 2) infantes & minores, 3) feminae, 4) defectu animi vel corporis laborantes, 5) infames aut leuis notae macula notati, 6) Iudei, 7) ferui seu homines proprii, 8) peregrini.

§. 34. *Ordines personarum speciatim* sic dicti sunt 1) illustres, 2) nobiles, 3) ciuici, 4) rustici.

§. 35. *Promiscuae horum ordinum diuīstiones* sunt in eruditos vel non eruditos; dignitatibus academicis insignitos, muneribusque adstrictos, vel secus; clericos vel laicos; priuilegiatos vel secus; item coelibes, maritatos, viduos viduasue, cet.

§. 36. *Subdiuīstiones* cuique ordini peculiares etiam *illustres* habent, sed quae magis iuris publici, quam priuati sunt (*clem. §. 137.*).

§. 37.


§. 37. *Nobilitas* alia personalis est, alia gentilicia; haec iterum codicillaris seu diplomatica alia, alia auita; antiqua & pura alia, alia minus (*elem. §. 159 - 165.*). Maxime reale nobilium discrimen est in bonorum equestrium possessione & viuendi ratione (*elem. §. 166 - 175.*). Quae & diiudicandi patriciorum statum optima norma est (*elem. §. 172. I. II.*).

§. 38. *Ciuicorum* subdivisiones in ciues & incolas, urbium aut suburbiorum, eruditos, mercatores, opifices, agrarios cet. magis in conditionem ciuitatum publicam, quam in iura communia priuata influunt.

§. 39. *Rustici* alii plane serui sunt seu homines proprii, alii libertate plena, alii imperfecta gaudent; & non eatenus solum diuersissimae per Germaniam conditionis sunt, sed & aliter multifariam distinguuntur *Vollbauern*, *Halbbauern*, *Anspänner*, *Zwey-spännige* &c. Quorum omnium diuersa iura & obligationes singularem tractationem merentur.

§. 40. Praeter singularum personarum divisiones *personae* quoque *morales* multiplices in Germania

nia sunt, iuris priuati capaces, veluti integri circuli, corpora prouincialia & equestria, capitula, ecclesiae, monasteria, ciuitates, pagi, communitates, academie, gymnasia, scholae, societates, collegia & corpora eruditorum, mercatorum, opificum, magistratus, aliaque qualiacumque publica vel priuata collegia, corpora, vniuersitates.



CAP. IV.


DE RERVM DIVISIONIBVS
GERMANICIS,

SIVE DE DIVERSA RERVM CONDITIONE, QVATENVS
DIVERSITATEM IURIVM OPERANTVR.

§. 41. Circa *rerum diuisiones* disquirendum, quae sit iure Germanico differentia rerum corporalium & incorporalium, animatarum & inanimatarum, animalium mansuetorum mansuefactorumque & ferarum bestiarum, mobilium rerum & immobilium, principalium & accessoriarum seu appertinentium, fungibilium & non fungibilium, nullius, communium, & in
do-

dominio, sacrarum & profanarum cet. (*elem. §. 500. 501.*)

§. 42. Singularia quaedam iuris Germanici discrimina sunt inter possessiones illustrium, nobilium, ciuicorum & rusticorum (*elem. §. 503-510.*), inter feuda & allodia, bona auita & nouiter adquisita (*elem. §. 502. 719.*), inter heergewettam & Geradam (*elem. §. 726.*), reliq.



CAP. V.

DE IVRIBVS CIRCA RES IN GENERE.

§. 43. Perfectissimum ius in res est *dominium* (*elem. §. 511. 512.*), cuius tamen *restricti*, indeque plurim in eamdem rem oriundorum iurium permultae dantur species in Germania, veluti

1. *dominium ex nexu feudali* eiusue analogo diuisum in directum & utile (*elem. §. 542. 571-573.*);

2. *dominium iure familiae*, tum viuentium *agnatorum*, tum nasciturorum, a primo adquirente promanante, circumscripsum (*elem. §. 541.*);

3. *dominium ex pactis successoriis* aliisque olim in primis per frequenter conditis & adhuc passim


per-

perdurantibus, veluti Ganerbinatibus, confraternitatis, cet., restrictum (*elem.* §. 792.).

4. dominium *in communione* plurium constitutum, siue vi communionis bonorum vniuersalis, siue communionis adquaestus (*elem.* §. 262., 263., 638-640.).

§. 44. Dantur quoque *singularia rerum iura*: census operarumue, quarum obligatio praediis inheret (*elem.* §. 589. 590.); seruitutes (*elem.* §. 626-636.); ius retractus (*elem.* §. 560-566.); cet.

§. 45. Alia demum sunt *iura*, ipsi cuidam *praedium inherentia*, vel quae ab eius possessore respectu talis praedii exercentur, veluti ius capponae, pharmacopolii, cet. ius coquendi cereuifiam, vinumue adustum, ius molendinae, pistriuae cet., & vel iure cum bannario (*elem.* §. 637.).



CAP. VI.

DE PACTIS IN GENERE.

§. 46. In *pactis in genere* ius Germanicum simplicitatem iuris naturae sequitur (*elem.* §. 190-192.)

§. 47.

§. 47. Solo itaque consensu perficitur pactum, vel tacito quoque, non tam praesunto vel ficto.

§. 48. Error, dolus, vis, metus, ut iure naturae, impediunt efficacitatem pacti. Ceteroquin omne pactum perfectum irrevocabile.

§. 49. Ex pacto itaque perfecto, promissionis in eo contentae implementum alter, cui promissio facta, citra ullam exceptionem contendere potest.

§. 50. Promittitur pacto aut res vel ius in eam, aut factum vel non-factum, siue patientia facti alterius.

§. 51. Implementum ideo pacti ex parte eius, qui obligatur, consistit vel in tradendo rem, aut patiente ius ab altero in eam exercendum, vel committendo omnitudine certa facta.

§. 52. Is, cui promissum, implemento pacti possessionem rei adipiscitur, vel admittitur ad exercitium certorum iurum.

§. 53. Commoditatis aut certitudinis causa traditio subinde per *symbola* fit (elem. §. 193. 547. I.).

§. 54. Qualemque implementum pacti conditionem alterius meliorem reddit, sed ius handmaius (elem. §. 552. II.)

§. 55.

§. 55. Quidquid modo semel perfecto pacto promissum vni, promitti amplius alteri nequit. Pactum ergo prius praferendum semper posteriori, Vbi secus; id iuris peregrini, non patrii.

§. 56. Singulare iuris Germanici est, quod, ob perfreqvens restrictum possessoris dominium (§.43.), & vel ob nexus simul personam stringentem (§.33-39.), persaepe in paciscendo necessarius fit adhibendus *tertii consensus*, veluti domini directi aut matrimonialis, agnatorum, liberorum, coniugis, cet. (elem. §. 540 - 542.).

§. 57. In modo pacisciendi perinde est, verbis, an litteris; coram pluribus, paucisue, an plane remotis testibus, fiat pactum, modo probari possit (elem. §. 189. 657.).

§. 58. Ex prisco usu, & passim, in primis inter rusticos, ex necessitate, pactis, praesertim quae immobilia concernunt, vel alias maioris momenti sunt, adhibetur *auctoritas iudicaria*, siue coram magistratu perficiatur ipsum pactum, siue conditum prius ad confirmandum ei proponatur.

§. 59. Frequens etiam mos in Germania est pacisciendi coram notario & testibus.

§. 60. Scriptis pactis *subscriptione* robur datur,
pleruinque & *sigillo*, olim hoc solo ut plurimum.

§. 61. Scripta pacta, priusquam follenni formula expediuntur, saepe *punctatione* concipiuntur, quae subscripta vim obligandi haud minorem, ac illa, habet.

§. 62. *Chartarum*, quas vocant, *blancarum* periculosior usus est, in quibusdam modo negotiis nonnumquam adhiberi solitus.

CAP. VII. DE VARIIS PACTORVM SPECIEBVIS, SPECIALITER, QVAE PERTINENT AD IVS RERUM

§. 63. Pacta, quibus rem vel ius in rem alteri promittit, ad *ius rerum* pertinent.

§. 64. Pactis istis vel de vniuerso dominio transferendo agitur, vel de aliqua eius parte, i. e. de singulo quodam iure in rem. Utrumque in causa mortis sit, vel sine mortis respectu inter viuos.

§. 65. Inter viuos de vniuerso dominio transferendo agitur: donatione, permutatione, emtione
ven-

venditione (*clem. §. 554 - 559.*), item pactis, quibus alter alterum in condominium recipit, siue quibus communio bonorum statuitur (*clem. §. 638 - 640.*)

§. 66. Pacta, quibus de parte tantum dominii seu de singularibus iuribus disponitur, olim non tam subtiliter distincta a majoribus nostris fuerunt (*clem. §. 548.*). Vnica fere fuit, & praecipua adhuc est species, qua praedii dominium, quod vocant, vtile alteri, alteri directum constituitur (*clem. §. 569. - 599.*). Cui modo altera meretur addi, qua aliqui usus praedii aliaeue necessitates ad dies vitae, vel sub certa conditione constituuntur, vulgo *Leibzucht*.

§. 67. Nouiore aevo, sed duce magis peregrino, quam patro iure, amplius distincta sunt pacta locationis conductionis, commodati, mutui, cet. (*clem. §. 600. - 625.*).

§. 68. In casum mortis quomodo cumque pacisci in Germania licet (*clem. §. 730. - 732.*) Quapropter varia dantur *pacta successoria*, quibus in futurum mortis casum de bonis disponitur, veluti in primis

i. pacta nuptialia (*clem. §. 214. 288.*), praesertim quibus communio bonorum eique conformis

futura successio inter coniuges statuitur (*elem. §. 258.-283.*);

2. pacta parentum de futura liberorum successione, quae saepe partem pactorum nuptialium efficiunt (*elem. §. 285.*), speciatim *unio prolium* (*elem. §. 794.*);

3. pacta plurium agnatorum, maxime familiarum illustrium & nobilium, de iuribus successionis in posterum in familia obseruandis (*elem. §. 732. 768.-782.*);

4. pacta duarum pluriumue familiarium de futura alterutrius aut reciproca successione, quae vocant, *pacta confraternitatis*, cet. (*elem. §. 792.*);

5. alia qualiacumque pacta successoria (*elem. §. 730.*).



CAP. VIII. DE IIS PACTORVM SPECIEBVIS, QVAE PERTINENT AD IVS PERSONARVM.

§. 69. Pacta, quibus promittitur, quod in ipso homine est, siue vniuersa hominis libertas, siue singula eius facta, ad *ius personarum* pertinent.

§. 70.

§. 70. Hoc genus pacta sunt,

1. quibus quis alteri operas, vel qualiacumque alia facta promittit, *locatio operarum, mandatum* (*clem. §. 643.-647.*), *depositum* (*clem. §. 567.*), cet.;

2. *sponsalia* (*clem. §. 206.-213.*);

3. pacta, quibus se in patriam alterius potestatem confert, vel ab hoc recipitur *adoptione* (*clem. §. 399.*);

4. pacta, quibus *feminae* passim *curatores* sibi constituunt (*clem. §. 416. IV.*);

5. pacta, quibus quis seruum vel *hominem proprium* alterius se profitetur (*clem. §. 448.*) ; cet.

6. viciissim pacta, factorum ab alio promissorum seu potestatis in eum adquisitae, remissoria, veluti *manumissio, emancipatio*, cet.

CAP. IX.

DE CONVENTIONIBVS ACCESSORIIS CLAVSVLISQVE PACTIS ADIICI SOLITIS.

§. 71. Ad firmando qualiacumque pacta principaliter inita, securitatis caussa per frequens adhibetur usus variarum *clausularum nouarumque conventionum accessoriarum* (*clem. §. 656. 657.*).

B 3

§. 72.

22 9) DE CONVENTION. ACCESSOR.

§. 72. Earum aliquae cum aliis iuribus iuri Germanico *communes* sunt, licet aliter quodammodo tractentur, veluti

1. fideiussio (*elem. §. 659.*);
2. pignus (*elem. §. 607.-614. 660.*);
3. iusiurandum (*elem. §. 661.*).

§. 73. Aliae peculiares sunt *iuris Germanici*, quae vel eo fundamento nituntur, quod magis honori tribuatur (*elem. §. 662.*), vel quod *avrodiu*m*ica* admittatur, eiusue saltem reliquiis adhuc locus sit (*elem. §. 664. 668.*).

§. 74. Harum aliae iterum *personam* stringunt, veluti

1. obligatio *honoris & picturae famosae* (*elem. §. 662.*);
2. obligatio *banni & proscriptionis* (*elem. §. 663.*);
3. obligatio *obflagii*, feriarum esurialium, *carceris, servitutis* (*elem. §. 663. 667.*).

§. 75. Aliae *bona* concernunt, veluti

1. clausulae sub poena amissionis omnium bonorum, ferendae depraedationis, pignorationis cet. (*elem. §. 666.*);

2. generatim clausula *mit oder ohne Recht* (*elem. §. 769.*).

§. 76.

§. 76. Hodie quidem pleraque istae clausulae, quatenus cum pace publica atque re iudicaria, & generatim cum hodierno rerum statu pugnant, sublatae, pristinae saltem efficacitate desitutae sunt siue legibus imperii, siue provincialibus.

§. 77. Supersunt tamen reliquiae iuris pristini,

1. quatenus haud refragante debitore, vel alioquin sine metu turbarum publicarum, exerceri possunt, veluti in primis *pignorationes* eius, qui possidet & in possessione sua turbatur, vel cui alias ius pignorandi adhuc hodie competit;

2. ut in locum violentiae priuatae substitutum iudicis auxilium promptius locum habeat per processum exsecutuum.

CAP. X. DE ALIIS MODIS ADQVIRENDI SPECIATIM INTER VIVOS.

§. 78. Praeter pacta, quos ius naturae, nec ius Germanicum ignorat adquirendi modos.

§. 79. *Occupatio* modo rarer est hodie, pro raritate rerum nullius maiore (*elem. §. 522.*); cir-

cumscriptior pro frequentia legum, quae vi superioritatis territorialis libertatem occupandi naturalem restringunt (*elem. §. 523.*).

§. 80. Dantur nihilominus adhuc *inuentio*, *occupatio bellica*, & in primis *venatio* atque *ius pescandi*, aliaeque, si quae sunt, occupationis species (*elem. §. 524. - 532.*).

§. 81. Similiter *accesso* cum omnibus speciebus iure Germanico, vti iure naturae, obtinet (*elem. §. 533.*).

§. 82. Nec, mere civilis acquirendi modus, *praescriptio* ius patrium latet, licet intermixta magis peregrino iure, ex quo hoc inuestum (*elem. §. 538. 539.*).

CAP. XI. DE SVCCSSIONE ET PRIMO QVIDEM ILLVSTRIVM AC NOBILIVM.

§. 83. Successionis Germanicae *pristina principia*, quorum adhuc *inter illustres & nobiles* est usus, consistebant in *praerogativa marium prae feminis*, & in *iure succedendi respectu bonorum auctorum*



torum *a primo* eorum *adquirente* ad omnes eius posteros ipso iure transeunte (*elem. §. 717.- 728.*)

§. 84. *Ordo succedendi* olim, sine lege, a patre ad filios, ab improli ad agnatos proximos, ab ultimo mare ad filias cognatosue transiit. Casus dubii non tam lege, neque vniuersali Germanica, neque particulari prouinciae familiae, quam bello & pace, componi adsueuerunt.

§. 85. Ex quo ius peregrinum patria successio-
nis iura turbare coepit, necesse visum plerisque illu-
stribus nobilibusque familiis, singularibus disposi-
tionibus statutisue prospicere conseruandis patriis iu-
ribus, tum & definiendis, quae damnosas in po-
sterum controuersias parere possent.

§. 86. Inualuit inde, ut a quo quis capite familiae vel a cunctis, si plures fuerint, agnatis leges familiae condi posint, quae conditorum posteros stringant omnino, nisi vel mutuo consensu iterum immuta-
rint sustulerintue illas, vel iuri succedendi a primo adquirente in illos deuoluto detrimenti quid illatum, & ad extraneos forte hereditas aut pars eius trans-
lata fuerit.

§. 87. *Formam* istae leges mox testamenti, mox pacti sequuntur, secundum ius Romanum illo, se-
cundum patrium hoc casu diiudicandam.



§. 88. *Contenta eorum ante omnia ordinarie versantur in seruandis patriis successionis principiis, tum quod ad prohibitionem alienationis, tum quod ad praerogatiuam marium p[re]feminis attinet.*

§. 89. *Vtrumque olim ipso iure consuetudinario viuuersali firmatum, nunc hisce legibus familiae cauetur, & modo quidem, vti videtur, ex iure Romaino & canonico repetito, fideicommissi neimpe familiae atque renunciationis seminarum iuratae, sed re tamen reuera Germanica, nec sine summa confusione ex peregrinis iuribus dijudicanda (elem. §. 769.-781.).*

§. 90. *Praeterea ordo succedendi nunc iisdem legibus fere numquam non definitur, siue ita, vt divisione locum habeat, siue communio aut alternatio, siue primogenitura aut maioratus, cet. (elem. §. 736.-767.).*

§. 91. *Qualiscumque succedendi ordo statuatur, ordinarie series posterorum masculorum principaliter intelligitur. Isque ordo, exclusis filiabus, eorumque posteris, tam diu continuatur, quam diu masculi ab eodem primo adquirente descendentes adfunt.*

§. 92. *Si series masculorum unius modo stirpis deficit; bona totius familiae, praeteritis iterum illius*

lius stirpis feminis femineisque descendantibus, ad alteram stirpem transeunt, exceptis modo iis, quae non a capite totius familiae, sed huius tantum stirpis proficiscuntur, quae tunc separanda a bonis totius familiae, eodem fere modo, ut generatim separatio feudi ab allodio in casibus eiusmodi instituenda.

§. 93. Si*n totius familiae masculi extincti; de-*
mum in bonis familiae aperitur successio feminis;
& dubium quidem: vtrum ultimo defuncto prox-
mae, an aliis quoque, quae in hunc modo casum
renunciauerant, earumque posteris? sed illud ta-
men analogiae conuenientius videtur (elem. §. 783.-
787.).

§. 94. An idem deinde *succedendi ordo inter*
posteros feminos, qui ante inter masculos, obser-
vandus fit, aliter fere, quam ex legibus familiae
diadicari nequit (elem. §. 788. - 790.).

§. 95. Quodsi vniuersa familia ita exstinguitur,
vt nemo plane praeter possessorem, cumque impro-
lem, a primo adquirente oriundus adsit; tunc in
huncce ultimum gentis suae iura familiae redeunt,
nisi qua pacta cum aliis familiis iam ante inita hnic
casui prospexerint (elem. §. 791. 792.).

CAP.



CAP. XII.
DE SVCCESIONE
CIVICORVM ET RVSTICORVM.

§. 96. Inter *ciuicos* non eadem mansit pristinæ successionis Germanicae ratio. Neque enim marium praerogatiua in vrbibus locum obtinuit; neque alienationum prohibitio tam sancte obseruata, quin cederet demum vtraque iuris Romani auctoritati (*clem.* §. 716.).

§. 97. Praecipua successionis ciuicae singularia ex communione bonorum repetenda sunt (*clem.* §. 360.- 381.), vel ex aliis pactis successoris singularibus, pactis nuptialibus, vnione prolium, cet. (§. 66.), item ex discrimine, quod passim adhuc inter geradain & heergewettam obseruatur.

§. 98. Plura passim in statutariis sive consuetudinariis vrbium iuribus reperiuntur successionis singularia, quae saltem hodie vix amplius ad ius Germanicum vniuersale referri merentur.

§. 99. In reliquis omnibus ius commune Romanum aut conuenit cum patro, aut detrusit patrios vrbium pristinos mores.

§. 100.

§. 100. *Rusticorum* in successione, praeter variâ pariter singularia huius illiusne pagi iura, potissimum indiuiduitas fundi, aliaque ex feudorum analogia obseruantur, & per frequens modus, emeritis parentibus constituta habitationis victusque & amictus necessitate, inter viuos adeundae a liberis hereditatis. (§. 66.)

CAP. XIII.

DE MATRIMONIO, IVRIBVSQVE CONIVGALIBVS EX IVRE GERMANICO IN GENERE.

§. 101. Matrimonium (*clem. §. 202. - 204.*) promittitur sponsalibus (*clem. §. 206. - 213.*), consummatur nuptiis (*clem. §. 297. - 302.*), finitur non nisi morte iusta que diuortii caussa (*clem. §. 332. - 337.*)

§. 102. Iura coniugalia aliter ex pristinis moribus patriis se habent, aliter post inuestum immixtumque ius peregrinum, alioque iterum inter illustres & nobiles, alio inter ciuicos & rusticos modo.

§. 103.

§. 103. *Pristino Germanico iure vxor nihil in arito inferebat, praeter Vadersum siue apparatum supelleciliis, pecorum, cet., quo instruebatur a patre, fratribus, vel agnatis, quorum e familia nubens egrediebatur (elem. §. 218.-220.).*

§. 104. *Maritus potius vxori constituebat dotem seu vidualitum (elem. §. 228. 229.), dabatque morgengabam (elem. §. 249. 250.).*

§. 105. *Coniuges deinde laborum periculorum que socii erant (elem. §. 259. 260.), vxor modo, non tam in potestate, quam protectione, siue, quod vocabant, mundio maritali (elem. §. 304.).*

§. 106. *Reliqua, veluti futura liberorum & successionis iura, vna cum dicta mariti dote vtplurimum pactis nuptialibus ante vel sub initium matrimonii desiniebantur.*

§. 107. *Ex iure Romano innecta in Germaniam est dos vxoris (elem. §. 225.), & quae contra eam a marito constituitur, donatio propter nuptias (elem. §. 256.).*

§. 108. *Turbauit quoque mores patrios, quod iuri Romano nihil vidualitii, nihil communionis inter coniuges, & alia plane pactorum dotalium indeoles constat (elem. §. 214. 288.).*

CAP.

CAP. XIV.

DE HODIERNIS
IVRIBVS CONIVGALIBVS
 ILLVSTRIVM ET NOBILIVM.

§. 109. *Inter illustres & nobiles* hodie obtinet
 1. dos & adparatus ex parte vxoris (*elem. §. 223.*
225. 226.);

2. morgengabe, & passim singularis donatio propter nuptias ex parte mariti (*elem. §. 251. - 256.*);

3. alicubi, inter nobiles praefertim, communio quaedam aquaeclus & portio statutaria (*elem. §.*
276. 378.);

4. vniuerse adhuc vidualitium, seu quod nunc vocant, dotalitium.

§. 110. *Vidualitii* huius seu *dotalitii* nomine adhuc veniunt redditus, quos maritus uxori in casum viduitatis percipiendos adsignat.

§. III. *Institutum vere Germanicum*, conseruatum inter illustres & nobiles, ex durante simul ratione pristina: ut vidua, paternis destituta bonis, pro dignitate familiae mariti, quam sustinet, ex eius bonis viuere possit.

§. 112.

32 14) DE IVR. CONIVG. ILLVSTR. ET NOB.

§. 112. Reuera itaque alimentorum instar, nil minus, quam odiosum est vidualitium; nec usus fructus, nec vlo alio Romano iure aestimandum.

§. 113. Nihilominus Romanizantes a compluribus seculis inde Germaniae ICTi vidualitium, seu quod vocarunt, dotalitium censuerunt in compensationem dotis constitui; errore manifesto & mixtura iurium incongrua erga dotem Romanam posito dotalitio Germanico.

§. 114. Error iste a ICTis, haud legislatoribus, commissus, nil iuris efficit, nisi forte lege vel consuetudine firmatur; id quod alicubi contigisse negari nequit. Vnde dupliciter fere vniuersum hocce argumentum tractandum, aliter ex genuino patrio iure, aliter ex mixtura iurium lege vel usu probata.

§. 115. Sic, *an debeatur dotalitium?* patrio more ordinarie pactis definitur (§. 106.); sed & circa pacta ipso iure debetur merito (elem. §. 341:343.).

§. 116. *Quantitas dotalitii* primo casu ex pacto, altero ex proportione bonorum ac dignitate mariti, & ex obseruantia eius familiae aestimari debet.

§. 117. *Ex mixtura iurium*


1. non censetur dotalitium deberi, nisi *dos illata* & *in rem versa* fuerit; 2. *quan-*

2. *quantitas dotalitii ex dotis quadruplicatis, dotisue & donationis propter nuptias duplicatis vsum aerstimator;*

3. *optio viduae relinquitur, dotalitio frui, an dotem repetere velit?* (*elem.* §. 344).

§. 118. Reliqua dotalitii iura vide in *elem.* §. 345. - 358.

§. 119. Ad obtainenda haecce descripta hactenus iura coniugalia, non minus, quam ad transferendam parentum in liberos dignitatein requiritur inter illustres & nobiles matrimonium *aequale*. In *aequale* effectu utroque destituitur, siue tamquam *disparagium* odiosum iplo iure, siue tamquam *matrimonium ad marginaticam*, fauorabile ceterum, vi pactorum expresse ea mente initorum (*elem.* §. 382. - 391.).



CAP. XV.

DE HODIERNIS IVRIBVS CONIVGALIBVS CIVICORVM ET RVSTICORVM.

§. 120. *In ciuitatibus & ruri ab antiquis inde temporibus consuetudine, dein statutis quoque, in-*

C ual-

ualuit *communio bonorum* siue *vniuersalis*, siue ad-
quaestus saltem (*elem. §. 261.-263., 269.-271.*).

§. 121. Nullis itaque olim *pactis* ibi *opus fuit*,
sed iura coniugum solo consuetudinario aut statuta-
rio iure communionis aestimata.

§. 122. Cum iure Romano demum, cumque
dote, quam ex eo iure maritis vxores inferebant,
inualuere pacta Romano more dotalia, eaque simul
quatenus patrias quoque reliquias continent, Germani-
co more nuptialia successoria. Qua ex mixtura iu-
rium inepta *pactorum dotalium simplicium & mix-
torum distinctio exorta* (*elem. §. 288.*).

§. 123. Vniuerse hinc alia distinctio nata coniu-
giorum, quorum iura *pactis* definiuntur, & quae
sine *pactis* ineuntur (bedingter und unbedingter
Ehen).


§. 124. Hoc casu utpluriuum *communio bo-
norum* valet inter coniuges siue *vniuersalis*, siue
particularis, prout statutis vel consuetudini loci
conuenit (*elem. §. 311.-331.*), vna cum effectibus
utriusque post mortem alterutrius coniugis respectu
superstitis & liberorum (*elem. §. 360.-381.*).

§. 125. Illo casu *pacta*, quae conduntur, nu-
ptialia vel conueniunt cum eodem statutario aut

CON-

15) DE IVR. CONIVG. CIV. ET RVST. 35

consuetudinario iure, vel recedunt ab illo, eique
tunc omnino praferenda sunt (*elem. §. 265.- 268.*).



CAP. XVI.

DE

PARENTVM POTESTATE IN LIBEROS.

§. 126. *Parentibus in liberos, quae iure naturae, fere Germanico etiam est potestas* (*elem. §. 393.*).

§. 127. *Ambobus itaque parentibus est ius educandi liberos, dirigendi eorum actiones, coercendi illos, cet., sed & obligatio in primis praestandi iis alimenta, quamdiu opus,* (*elem. §. 400.- 406.*).

§. 128. *Quamdiu viuunt parentes, honorandi sunt a liberis. Sed propria illorum potestas in universo ambitu suo potissimum durat, quamdiu alimenita liberis praebent.*

§. 129. *Ordinarie idcirco filii, quando ipsi sufficienti victui & amictui sibi quaerendo, separantur a parentibus, i. e. exeunt ex eorum potestate,*

C 2

dum

63 16) DE POTEST. PARENT. IN LIB.

dum separatae oeconomiam instituunt, siue instru-
cti simul subsidio a parentibus, quae tunc vocatur
separatio qualificata; siue sine subsidio, quae tunc
dicitur *separatio simplex*.

§. 130. *Filiae*, dum nubunt, in familiam at-
que in mundum mariti transeunt, ex parentum pote-
state egrediuntur.

§. 131. Ceteroquin nec *maiores* terminus
patriae parentium potestatis est, nec *matrimonium*,
nisi separata simul oeconomia instituatur.

§. 132. *Separatio* seu dimissio liberorum ex
potestate parentum judiciali auctoritate haud indi-
get, nisi inuitis forte partibus fiat.

§. 133. *Inuiti* non tantum liberi possunt sepa-
rari, si parentum alimentis amplius haud indigent;
sed parentes quoque inuiti ad dimittendum liberos
cogi, si iusta sine causa separatam liberis oecono-
miam denegant, vel laeuitias in illos committunt,
etc.

§. 134. Alterutro parentum mortuo alteri super-
stifi potestas in liberos soli adcrescit (elem. §. 411).

§. 135. Ratione honorum tamen, si communio in-
ter parentes fuit, ea continuatur inter superstitem
parentem atque liberos, donec diuisio fiat.

§. 136.

§. 136. Continuatio ista communionis bonorum etiam locum habet cum liberis, qui vel separati iam ante fuerunt; siquidem separatio tantum potestatem parentum soluit, bona autem vel plane nulla dat liberis, vel eorum tamen partem modo adsignat iis (§. 129.). Qui proinde participes manent communionis bonorum ex defuncto parente ipso iure in se deuolutae, donec novo actu diuisio fiat cum superstite parente.

§. 137. Alicubi modo una cum separatione librorum simul *abdicatione* eorum fieri solet hoc modo, ut pars bonorum a parentibus iis detur, dum ex potestate illorum dimittuntur, ita ut extraneorum instar posthaec habeantur, nec participant amplius hereditatem parentum, quamdiu liberi non separati abdicative adsunt.

§. 138. *Sin communione bonorum inter parentes & liberos* haud fuit; defuncti parentis bona in liberos transeunt; *sive* ab his ipsis iam administrentur, si minore aetate haud impediuntur; *sive* eorum nomine a tutoribus & vel ab ipso superstite parente tutorio nomine; *sive* superstiti parenti ususfructus adhuc relinquendus sit. Prius utrumque inter illustres & nobiles; posterius inter ciuicos possimum obseruatur.

§. 139. Omnia haec parentum liberorumque iuris intelliguntur proprie de liberis ex matrimonio progenitis, siue legitimis. Citra matrimonium procreati illegitimi ventrem sequuntur. Neque legitimatis, neque adoptionis is omnino, qui iuri Romano quidem conueniret, usus est (elem. §. 395. 399.).

CAP. XVII. DE TUTELIS.

(elem. §. 413. - 439.).

§. 140. Parentibus destituti, qui ob aetatis aliumue defectum educatione curae aliena indigent, ipso iure in Germania sunt sub *tutela magistratus*, siue *feudalis*, siue *ordinarii*, siue *singularis iudicij tutelaris*.

§. 141. Ipse tamen *magistratus* tutelam haud gerit, sed illius suprema sub inspectione constituitur proprie sic *dictus tutor*, ordinarie *eiusdem ordinis*, cuius est *pupillus curandus*, saltem *honararius* talis, si vel aliis simul inferioris ordinis detur.

§. 142.

§. 142. In constituendo tutele magistratus aut normam sequitur, parentum, si rite constat, voluntatem, sive agnationem, aut suo arbitrio agit.

§. 143. Singulis casibus necesse est, a magistratu tutori administratio decernatur ac demandetur, isque iuret atque inuentarium conficiat (elem. §. 426. - 428.).


§. 144. In administratione tutelae olim fructuariae inter illustres passim supersunt reliquiae. Ceteroquin ordinarie hodie omnes tutores adstringuntur rationibus, iisque annuis, reddendis; licet honorario frui possint ac frequenter soleant.

§. 145. Inter illustres & nobiles tutela frequenter ex obseruantia vel ex pactis singulari modo definitur; non tam pactis intuitu singuli cuiusque curandi initis, quam generalibus familiae statutis, quae quomodo suis quisque liberis tutorem nominare, vel quis alias tutor legitimus esse debeat, specialius ut plurimum definiunt.

§. 146. Matres quoque sic tutela fungi possunt, ita ut non tantum educationis curam porro suscipiant, sed & bona alias ipso iure in liberos devoluta administrent, adhibito solum, vbi masculo forte opus, veluti in feudalibus, alio adstante tute.

§. 147. In ciuitatibus non tam tutorio, quam materno iure continuant matres educandorum liberorum bonorumque administrandorum curam.

§. 148. Ad secunda autem vota transeunte matre, semper alio liberorum tutore opus est.



CAP. XVIII. DE SERVITUTE SE V D E SOCIETATE HERILI.

§. 149. Seruitus in Germania olim personalis viguit, superstes, vbi rustici homines proprii sunt (clem. §. 440.-466.).

§. 150. Alibi rusticorum in statu scrututis pristinae modo supersunt reliquiae, nunc praedio magis inhaerentes, quam personae (clem. §. 467.-473.).

§. 151. Ceterum non seruitus amplius personalis, sed locatio conductio operarum obtinet (clem. §. 440. 647.).

CAP.

CAP. XIX.

DE
MODO PERSEQVENDI IVS SVVM
SIVE DE
RE IVDICIARIA.

§. 152. Ex quo pace publica sublatum fuit, quod ante vigebat, ius belli priuati; in persequendo iure suo nemini amplius licet *via facti vti*, nisi qua *pignoraciones* adhuc licitae sunt (§. 77.).

§. 153. Arbitriis itaque aut iudiciis componendae sunt lites.

§. 154. *Arbitrorum*, quorum olim frequentior, quam iudiciorum, fuit usus, singularis inter illustres ex antiquiore aevo supereft species *Austracarum* nomine. Necdum nobiles plane oblii sunt huius dirimendarum litium modi.

§. 155. *Iudiciorum* olim haec fuit forma, vt iudex, aut ipse princeps, aut substitutus ab eo vir, modo non inferioris litigatoribus ordinis, iudicium exerceret, adhibitis assessoribus scabinis, qui coram audirent litigatores, rogatique sententiam dicerent.

§. 156. *Res iudicaria hodierna ab instituta camera imperii inde multum peregrini multumque noui adoptauit (clem. §. 795. 799.); ita tamen, ut adhuc supersint iudicia pristini moris, veluti militaria, provincialia, criminalia follennia, marcialia, cet., & ut in reliquis quoque non nihil originis patriae adhuc deprehendatur.*

§. 157. *Post cameram imperii, eiusque ad exemplar, in principatibus atque comitatibus tantum non omnibus institutae sunt curiae provinciales; deinde senatum Imperatoris aulicum imitata quoque principum regimina aut cancellariae propriae. Quibus nouiore demum aeuo accessere appellationum, quae vocant, tribunalia (clem. §. 803. - 805.).*

§. 158. *In ciuitatibus a consule & senatoribus, in municipiis ut plurimum praeterea quoque a iudice, quem dominus territorialis constituit (clem. §. 802.); ruri a iudice, vel pariter domini territorialis, vel nobilis eiusque iurisdictionis patrimonialis auctoritate exercetur iurisdictio primae instantiae (clem. §. 801.).*

§. 159. *Singularia demum passim sunt iudicia singulari negotiorum generi dicata, veluti ecclesia-*
ficia,

*flia, criminalia, feudalia, militaria, cambialia,
forestalia, cet. (elem. §. 807.).*

§. 160. Cuiuscumque iudicij limites in instan-
tia foroque suo competente adeo debent obseruari, vt
nec prorogatio quidem fori arbitrio partium com-
mittatur (elem. §. 808. 809.).

§. 161. Inter concurrentia autem iudicia, quip-
pe quae per frequentia in Germania occurruunt, acto-
ri electio est, donec adsit praeuentio (elem. §. 810.
811.). Conflictus ipsius plurium iudiciorum iuris-
dictionis difficilius expeditur (elem. §. 812.).

§. 162. Quod ad internum iudiciorum statum
attinet, vbi ex unica persona consistunt, actuarius
tamen aliis adhibetur, proprie fas est (elem. §.
815.).

§. 163. Vbi ex pluribus personis consistit iudi-
cium; iudex seu praeses unus, reliqui assiffores
sunt, frequenter adhuc in duo scamna nobilium &
eruditorum dispartiti (elem. §. 816.- 818.), praeter
alias adhuc personas accessorias iudicij (elem. §.
819. 820.).

§. 164. Litigatores in iudiciis inferioribus, vti
olim vniuerse, adhuc ut plurimum ipsi agunt; in
iudiciis superioribus aduocatis ac procuratoribus
vtun-

vtuntur (*clem. §. 821.-824*), in quibus & principis nomine aduocatus & procurator fisci esse solet (*clem. §. 825.*).

§. 165. In ipso *processu* ad origines patrias referri potissimum meretur

1. modus agendi coram, vbi supereft, mündlich oder von Mund aus in die Feder ic. (*clem. §. 828.*);

2. citatio ipsam propositionem actionis praecedens, huiuscet saltem reproductio in primo termino instituenda;

3. formula citationis passim obuia: zu rechter früher Tageszeit; item triplex in citationibus contentus terminus, cet. (*clem. §. 834.*);

4. libelli & litis contestationis inter se comparatio, vti legibus nouioribus definita (*clem. §. 331. 837.*);

5. inrotulatio & transmissio actorum ad extraneos (*clem. §. 842.-847.*), item leuteratio, siue reuizio in vim transmissionis actorum (*clem. §. 849. 850.*), reliq.

CAP.

CAP. XX.

DE

ALIIS PARTIBVS

IVRIS GERMANICI

NONDVM IN EO TRACTARI SOLITIS, AVT
NON SATIS CVLTIS ADHVC.

§. 166. Hactenus delineatum esset *ius Germanicum priuatum ciuile*, cui, si vniuersum iuris Germanici generalis ambitum emetiri volueris, addendum foret *ius criminale Germanicum*.

§. 167. Ius generale, inquam, priuatum Germanicum sic exhaustum esset; illud nempe, quod *generale* voco, Germaniae ius priuatum, quod *iura & obligationes tradit singulorum Germaniae ciuium*, modo qua talium, sive qua priuatorum in genere consideratorum.

§. 168. Considerari autem praeterea possunt Germaniae ciues qua priuati in *specialioribus qualitatibus*, sive singularem *nexus personae*, sive *singulare quoddam negotium respicientibus*; Quibus si adplicaueris ius priuatum illud generale, plura *specialia priuata iura* inde oriunda videris.

§. 169.

§. 169. Referrem huc, tamquam specialia iura priuata Germanica, ius feudale, militare, ecclesiasticum; iura singularia illustrium & nobilium priuata; iura ciuicorum singularia, opificaria, mercatoria, cambialia, maritima; iura rei rusticae & agrariae singularia, iura forestalia, venatoria, salinarum, metallifodinarum, decimaruin; iura Iudeorum singularia; iura concursus creditorum, & iura priuata ex ordinationibus politiae profluentia.

§. 170. Singulis hisce iuris priuati Germanici speciebus praemittenda esset fontium eius generis per vniuersam Germaniam constantium notitia, veluti recensio singularium ordinationum feudalium, militarium cet. Quarum ex legum concentu, earumque ex comparatione cum natura rei & negotii cuiusque pariter praemittenda, utilissimum iuris Germanici studio augmentum adferri posset.

§. 171. Et sic quidem vniuersum iuris Germanici studium multo maiore, quam huc usque factum, ambitu, adparatu, ordine & fructu tractari posse, nemo, spero, non videbit.



Ki 321

ULB Halle

002 510 057

3



W 18

ME

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



IOANNIS STEPHANI PVTTERI

I. V. D. ET P. P. O. IN GEORGIA AVGUSTA

CONSPPECTVS
IVRIS GERMANICI
PRIVATI HODIERNI
NOVO SYSTEMATE
TRADENDI.



GOETTINGAE,
SVMTIBVS VIDVAE VANDENHOECK,

1754.